

hoc facto adripit etiam salinam portionem, et quum haec partim cum subtili terra mixta sit, partim ex ea constet, eadem quoque in solutionem abripitur, et ab liquore acido in minutissimas particulas discepitur, ut totum metallum solutum existat.

§. XXII.

Simulac autem huic solutioni aliud cognatione propinquius acidum aut metallum vel sal promptius solubilis adiicitur, statim aqua fortis metallum antea secum coniunctum dimittit, seque cum hoc tamquam sibi amiciori et conuenientiori coniungit; id quod infra ex experimento primo adhuc clarius elucescet.

§. XXIII.

Nunc quoque ratio reddenda erit, quare aqua fortis argentum tantum, non aequae autem aurum ei immixtum soluat, sed potius intactum plane illud relinquit?

§. XXIV.

Huius phaenomeni causa, me quidem iudice, saluis tamen aliorum opinionibus, in grauitate auri specifica et praecipue in arsenicali et quadantenuis sulphureo auro depurato per excoctionem et cupellationem ablato principio tantummodo consistit.

B 2

§. XXV.